



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 131. Seditio in Henricum Regem a Castellanis Proceribus mota

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. ipsamque Genuam suæ potestati subje-
 A.C. 1464. cit. Hanc sortem Sfortiæ Duci datis
 literis gratulatus est summus Pontifex, eo
 vel maxime, quod illo abhinc tempore Ge-
 nuensium ditioni pax & plena tranqui-
 litas reddita esset.

§. CXXXI.

*Seditio in Henricum Regem a Castel-
 lanis Proceribus mota.*

Interea Henricus IV. Castellæ Rex vo-
 luptatibus, genioque suo liberius indul-
 gebat; unde majorem indies subditorum,
 præcipue vero regni Procerum invi-
 diam sibi creaverat; Horum odium quam
 maxime auxit immodicus Regis favor,
 quo Bletisæ Comitem clientem suum
 prosequabatur, illumque non modo ad
 singulas ferme horas beneficiis cumula-
 bat, sed etiam supremum Ordinis S. Ja-
 cobi Magistrum nominabat. Ægerrime
 ferebant Proceres, tantam dignitatem
 ad hæc usque tempora nonnisi Princi-
 pibus regio sanguine ortis conferri soli-
 tam a tali Viro occupari, qui ad supre-
 mos honorum apices haud alio meri-
 torum aut generis suffragio elevatus es-
 set, quam adulterino Reginæ amore;
 Quapropter conjuratione in Regem facta
 divulgant, quod Joanna, quam Regina
 nuper pepererat, ex illegitimo tho-
 ro

ro suscepta esset. Ea res quidem jam omnibus comperta erat, nec ullus dubitabat, quin hæc proles licentioris vitæ, quam Comes cum Regina traducebat, fructus exstitisset; id studiose tamen Proceres etiam in vulgus spargebant, ut Joanna ab hæreditaria Castellani regni successione Natalium vitio exclusa ab omnibus palam haberetur; Imo nec communi hac fama contenti, Comitibus cogebant, ac nequidquam ringentibus quibusdam paucis Regis Comitisque fautoribus, declarabant, quod Joannæ Principi nullum ad Castellanam coronam jus competeret. Præterea Regni Proceres Alphonsum quoque Henrici fratrem in suas partes adtrahunt, eumque legitimum Regni hæredem proclamant; & Magisterium Ordinis S. Jacobi Comiti Bletifensi auferunt; quamvis postea Rex eundem Albuquerciensi Ducatu auxisset. Henricus, cum a subditis suis leges sibi præscribi intelligeret, pacem cum Rege Granatensi iniit, sui que corporis custodiam ducentis Mauris concedidit; Tanta rei indignitas, cum non modo fidei, sed ipsis quoque prudentiæ legibus summopere adversaretur, adeo Procerum animos offendit, ut Alphonsum in Regem suum proclamare non dubitarent; Attamen Henricus conscriptis quibusdam ex Gallia & Granata copiis, rebelles

profli-

Sæcul. XV.

A. C. 1464.

Marian. hist.
Hisp. lib. 23.

Sæcl. XV. profligavit, fratremque suum adegit, ut
A.C. 1464. nonnisi Regni hæres successioni proximus appellari pateretur. Hæc tamen concordia, recrudescantibus paulopost conspirantium turbis, haud diuturna fuit.

§. CXXXII.

Petri de Fuxo Cardinalis obitus.

Onuphr. & Ciacon. in vit. Pontif. Aubery hist. Cardin. Duschén. Sanct. Marth in Gal. Christian.

Inter celebres hujus sæculi Viros, hoc anno vivis ereptus est Petrus de Fuxo Cardinalis, Ordinis S. Francisci, qui erat Archambaldi Bearnæ Principis, Buchii Dynastæ, & Elisabethæ Fuxi seu Flussatum Comitissæ Filius. Is Regulam Fratrum Minorum adultior factus profitebatur in Cænobio de Morlas, ubi sacris profanisque disciplinis egregie instructus, Lescarensis, ac Convennensis Episcopatus administrator nominabatur; demum vero a Benedicto XIII. Pseudo-Pontifice, sive in meriti præmium, sive Fuxenses Comites sibi devinciendi animo, Anno millesimo quadringentesimo octavo Cardinalium collegio adscriptus est. Tuebatur olim Petrus hujus Antipapæ partes usque ad Constantiense Concilium, in quo tamen Ecclesiæ salutem semper privatis fautoris sui studiis præferebat, unde a Patribus præfatæ Synodi Anno millesimo quadringentesimo sexto decimo singulari profus honore exceptus est;

datum